

25  
 Dionysum appellant. esse autem utriqꝫ dicatam columnam sacris sculptam a literis tradunt: inqꝫ columna Iſidis hæc scripta esse :

Ego Iſis sum Aegypti regina, à Mercurio erudita. Quæ ego legibus statui, nullus soluet. Ego sum uxor Osiridis. Ego sum prima frugū inuentrix. Ego sum Ori regis mater. Ego sum in astro Canis refulgens. Mihi Bubastia urbs condita est. Gaude gaude Aegypte, quæ me nutriit.

In columna Osiridis hæc scripta dicuntur:

Mihi pater Saturnus deorum omnium iunior. Sum uerò Osiris rex, qui uniuersum peragraui orbem usqꝫ ad desertos Indorum fines. Ad eos quoqꝫ profectus sum, qui Arcto subiacet, usqꝫ ad Histri fontes. Et iterū alias quoqꝫ orbis adij usqꝫ ad mare Oceanū partes. Sum Saturni filius antiquior, germē ex pulchro & generoso ortum: cui nō semen genus fuit. Neqꝫ ullus est in orbe ad quem non accesserim locus, docens omnes ea quorū inuentor fui.

Hæc tantum in columnis legi posse affirmant: alia (quæ plurima sunt) tempore esse corrupta. Et de his sanè quæ in sepulchris extant, consentiunt ferè omnes. Nam quæ sacerdotes condita in arcanis habent, nolunt, ut ueritas ignota sit, ad multos manare: pœna ijs adiecta, qui ea in uulgus proderent. Tradunt insuper plures Aegyptij, ab eis colonias per uniuersum orbem deductas. nam in Babyloniam colonos traduxisse Belum Neptuni uolunt, Libyaeqꝫ filiu: qui sedem urbi ponē Euphratem cum elegisset, sacerdotis (hos Chaldaeos Babylonij uocant, qui more Aegyptiorū alia obseruarent) phisicos etiam, astrologie qui dediti essent, instituit. Ferunt etiam Danaū ex Aegypto profectum, antiquissimam ferè urbū Græciæ Argos condidisse: Colchorum quoqꝫ gentem, qui in Ponto sunt: Iudæos insuper, qui Arabiam inter Syriamqꝫ colere, ab ipsis testantur transmigrasse. Quapropter & apud has nationes antiquo more circunciduntur pueri, ab Aegypto ea consuetudine traducta. Quinetiam Athenienses colonos Saitarum Aegyptiæ gentis esse, eo asserere nituntur, quòd apud Græcos urbem, quæ Asty uocatur, ab Aegyptiorum more olim tripartitam fuisse asseuerant. Nam primus gradus erat nobilium: qui præ cæteris doctrinæ dediti, maiore honore digni habebantur, in ea re sacerdotibus Aegyptijs per similes. Secundus, eorum quibus agri erant assignati, ut armis intenti essent pro patriæ defensione: illis pares, qui in Aegypto agros tenentes, milites ad bellum subministrabant. Tertius plebis erat, atqꝫ opificum, qui artibus mercenarijs intenti, necessarias operas præberent, ordo ab Aegyptijs sumptus. Fuerunt & Aegyptij quidam Atheniensium duces. Dipetes enim Mnesthei, qui ad Troiā militauit, pater, cum esset Aegyptius, postmodum Atheniensium ciuis & rex factus est. Eum duplicis naturæ extitisse aiunt: quoniam duplicis politix, Græcæ scilicet & Barbaræ, quarum altera partem feræ habet, hominis altera, particeps fuerit. Similiter & Erichtheum tradunt Aegyptium genere, Atheniensibus imperasse: cuius rei hæc asserunt argumēta. Cum maxima siccitas omnē ferè orbem præter Aegyptum perualisset, ex qua ingens frugum, hominumqꝫ perniciēs secuta est, attulisse ex Aegypto dicunt Erichtheū, propter cognationem, Atheniensibus frumentū: obqꝫ id beneficium eis regem constitutum. qui sumpto regno, docuit eos ceremonias ac mysteria Cereris Eleusine ab Aegyptijs translata. Eam quoqꝫ deam his temporibus coauam, Athenas frumēta comportasse dicit, & serere denuò triticū docuisse. Athenienses regnāte Erichtheo, cum omnes terræ fructus siccitas absumpisset, Cererem præsentē frumento eos iuuisse: sacra insuper & mysteria eius deæ tunc in Eleusina suscepta, quæ eadem & penes Aegyptios celebrantur. Nam & Eumelpides ab Aegyptijs sacerdotibus traducti sunt, & à pastophoris præcones. Solos ex Græcis Athenienses per Iſidem iurare, forma moribusqꝫ Aegyptijs similes, pluraqꝫ alia his similia magis ambitiosè quàm uerè asserunt. Sed de hac colonia